

viriri. Conjugia pacta cum mulieribus *legaliter* prohibitis jure nulla sunt; et cum mulieribus *rabinicè* prohibitis divortium necessarium est.

VII. Consuetudo viguit non celebrandi conjugia die Veneris, in fine mensis, nec feriato die. Dies maximè virgini propitius est Mercurii dies; et vidue, Jovis dies initio mensis. Hæc sunt consilia et non præscriptiones, præter quod ad dies feriatos spectat.

VIII. Sponsum et sponsam hilarare officium est, necnon saltare coram eis, sponsamque pulchram ac sapientem dicere, sicut pulchra non sit.

BENEDICTIONES NUPTIALES.

1. A. Benedictus sit Æternus, Deus noster, rex orbis universi qui fructum vineæ creavit.

2. Benedictus sit Æternus, Deus noster, rex orbis universi, qui nos præceptis suis sanctificavit, qui nobis mandavit quod spectat ad consanguineas prohibitiones, qui sponsas alienas nobis interdixit, et nobis permisit illas quas duximus per *houpa* (umbellam) et *kidouschine* (consecrationem). Benedictus sis, Æterne, qui populum tuum sanctificas per *houpa* et *kidouschine*.

Degustant sponsus ac sponsa vinum quod eis in poculo rabbi porrigit; deinde sponsus dicit ad sponsam: « Mihi diceris hoc annulo secundum legem Moysis et Israel. »

Post contractas lectionem, aliquis precem n^o 1 iterat.

SEPTEM BENEDICTIONES.

1 B. Benedictus sit Æternus, Deus noster, rex orbis universi, qui omnia creavit propter gloriam suam.

2. Benedictus sit Æternus, Deus noster, rex orbis universi, qui hominem effinxit.

3. Benedictus sit Æternus, Deus noster, rex orbis universi, qui hominem ad imaginem suam effinxit, imaginem, similitudinem sui typi, et illi ex ipsa ipsius carne eodem struxit in generis perennitatem. Benedictus sit Æternus, qui hominem effinxit.

4. Lætifica, ô lætifica mulierem sterilem, et illi gaudium largiaris liberis ipsius eam circumcingendo cum lætitiâ. Benedictus sit Æternus, qui lætificat Tsionem (Sion) cum filiis suis.

5. Lætifica, lætificabis amicos dilectos, sicut initio lætificasti creaturam tuam in horto Eden. Benedictus sit Æternus, qui lætificat *Hatan* (novum conjugem) cum *Calah* (novâ uxore).

6. Benedictus sit Æternus, Deus noster, qui creavit lætitiâ et hilaritatem, *Hatan*, et *Calah*, gaudium et clamores exultationis, satisfactionem et familiaritatem, amorem et fraternitatem, pacem et concordiam; mox, Æterne, Deus noster, audiantur in urbibus Juda et in viis Jerusalem, sonus lætitiæ et hilaritatis, vox *Hatan*, et *Calah*, resonantia ludorum *Hatan* sub suis *houpa*, et juvenum in suis festis et cantibus. Benedictus sit Æternus, qui lætificat *Hatan* cum *Calah*.

Cunctas benedictiones præcedentes pronuntiant invitati à parentibus, in spatio variorum actuum quibus constat conjugii cæremonia. Consistorii Parisiensis decretum has preces recitari prohibet ab alio ac Rabbi vel uno ex ministris. Ab initio orationis 1 B. incipiunt benedictiones septem quæ inter prandendum canuntur.

7. Repelle dolorem et iram, tunc mutus audietur canens; deduc nos per semitas justitiæ, accipe benedictionem filiorum *Jeschou-roune* (Israel). Permittentibus ducibus nostris, magistris et præceptoribus, benedictus Deo nostro, in cujus domo invenitur lætitiâ, et ex cujus bonis comedimus.

Convivæ respondent:

Benedictus sit Deus noster in cujus domo lætitiâ invenitur, ex cujus bonis comedimus, et ex cujus bonitate vivimus.

Qui recitat cænx benedictionem repetit:

Benedictus sit Deus noster in domo cujus lætitiâ invenitur, ex bonis cujus comedimus, et ex cujus bonitate vivimus.

Sequuntur preces quæ post cœnam recitantur, quasque in Judæorum rituali reperire est.

DE DIVORTIIS

Dissertatio.

Quæcumque gentes connubia jure tantum politico spectantes perinde habuerunt ac meram et simplicem pactionem inter virum et mulierem initam, quæ corporum et honorum communionem mutuo consociarentur; ille sanè omnes, quemadmodum mutuo consensu constare illa, ita divortium, quod connubii societatem abruptam, mutuo partium recedentium consensu, sive prioris assensû revocatione ab utràque simul, vel ab unâ tantum ex partibus factâ, induci posse autumârunt. Ex hoc autem apud eas gentes illud consequeretur, ut divortium tanquam naturali jure singulis permissum, licitum sibi quæcumque demum ex causâ ducerent; quo semel facto utrique parti nova inire connubia, novisque legibus alterum sibi conjugem adesseere integrum erat. Eò tandem licentiæ venerunt, ut alteri ab altero recedere, illo etiam invito et renuente, fas esse dicerent, quod sanè citra æquitas dispendium nunquam fieri potuisse constat; nisi eâ tacitâ lege pacta connubialia sancirentur, ut sive uni tantum ex contrahentibus, sive utrique pro arbitrio recedere facultas esset.

Verum, si religionis etiam partes in iis connubiis spectentur, quæ sanè religio juxta Dei consilium vinculo quodam indissolubili in unam divini humanique juris societatem conjuges jungit (1), tunc prorsus, quod matrimonium ritè contractum dissolvat, nihil est, atque divortii libertatem, qualis apud paganos obtinebat, tanquam sancitæ à Creatore legis violationem habendam esse constat.

Cùm verò legislatori tolerare divortium, ut imbecilliori populo indulgeret, visum sit, tum et Christus dimittendi conjugem, limitatam tamen et ad certas causas atque rationes, facultatem permisit, operæ pretium duximus in unam sermonis seriem ea omnia redigere, quæ de hoc argumento collegimus, veritè ne

suis locis singula distribuentes, lectorem haberemus nimis distractum, quominus totius rei seriem teneret.

Eo quidem temporis spatio, quod Mosaicam legem præcedit, rara suppetunt exempla divortii. Abraham famulam suam Agar conjugem inferioris ordinis, intolerabili mulieris fastu provocatus repudiavit, solâ sibi reservatâ Sarâ, sterili quidem, sed morigerâ conjuge (Gen. 21, 14). Onkelos, et Jerosolymitanus paraphrastes (1) quas rabbinorum turba secuta est, totam murmuris Aaronis et Mariæ in Moysen (Vide Num. 12, 4) causam tribuunt repudio, ab eodem Moysè dicto filix regis Æthiopiæ (Tharhim appellanti), de quo conjugio Josephus (Antiq. l. 2, c. 5); alii rejectam ab eâ Sephoram maluit. Nos tamen neutram credimus, neque in exemplum divortii venisse unquam Moysen in animum inducere possumus; quamvis enim Sephoram ad parentem Jethro remisisset (Exod. 4, 26), id tamen ad tempus factum est, atque veniens in castra Jethro uxorem ad virum non reduxit tantum (Exod. 1, 8, 6), sed recedens apud illum reliquit. Fateamur tamen oportet ante legem divortia tum apud alios eum apud Hebræos obtinuisse, cum Jesus Christus permisa fuisse à Moysè divortia affirmaverit, quod Judæi obfirmato essent in illa propensi animo (Matth. 19, 8), eorumque inhibitione mala pejora timeret.

Seriùs planè legislator legem de divortiiis tulit; non enim priùs rogâsse legimus, quam eum paulò ante obitum orationem in Deuteronomio relatai ad populum haberet (Deut. 24, 4). En illam: *Si acceperit homo uxorem, et non invenerit gratiam ante oculos ejus propter al-*

(1) Falso licet accensent Onkelos ac paraphrasiem hierosolymitanam. Illic error tribuendus est falsæ bibliorum Londinensium interpretationi, in quibus verbum chaldaicum *קרי*, veritè *repudiare*, dum germanus sensus est, *parare se quasi thorum*, non autem *divortio*, ut videre licet in versu sequenti textûs chaldaici *וְהָיָה כִּי יִרְאוּ אֶת הַבָּתּוּלָה* id est, *ed quod abstinisset ab usu thori*. *Repudiare* rectè redditur verbo chaldaico *פָּדַד* vel *פָּדַד* (Drach. Bibl. de Vence, edit. 1828-1829.)

(1) « Matrimonium est maris et femine conjunctio, individuum vite consuetudinem continens, divini humanique juris communicatio. » L. 1 de Rit. nupt., et can. 1, caus. 27, q. 2.

quam fedilitatem, scribet libellum repudiij, et dabit in manu illius, et dimittet eam de domo sua. Cumque egressa alterum maritum duxerit, et ille quoque oderit eam, dederitque libellum repudiij... vel certe mortuus fuerit, non poterit prior maritus recipere eam in uxorem, quia polluta est, abominabilis facta coram Domino.

Quid sit autem illud: Propter aliquam fedilitatem, hebr. ad litteram: Propter aliquam nuditatem; verbum nuditatis, seu recundit, inter veteres, sicut etiam recentiores interpretes, ambigitur. Nuditatis nomine in sacra Scriptura plerumque factum aliquid et pudori contrarium designatur: Turpitudinem matris tuæ non discooperies, ait Moyses Levit. 18, 6, etc. Prohibe pedem tuum à nuditate, ait Jeremias, cap. 2, v. 25; et alius propheta (Nahum 5, 5): Ostendam genibus nuditatem tuam. Septuaginta dictum exponunt de turpi aliquo actu. Tertullianus legit (cont. Marc. l. 4): Impudicum negotium; in quem etiam sensum inclinantes optimi quique commentatores, eam tantum ratione divortij permitti Judeis autumant, si adulterium, vel aliquid impudicum commissum fuisse, non levi quodam rumore et conjectura tantum ali-quæ, sed certis argumentis constaret: pro solâ enim suspitione fidei in conjugio violatæ, aquas zelotypiæ destinatas legimus.

Veterum Israelitarum mores huic interpretationi planè congruunt; nulla enim aperta et explorata divortij exempla sub lege suppetunt. Docent insuper Judei, Davidem ipsum, cum permissum decem et octo uxorum numerum implèssset, ac vellet Abisag decimam nonam ducere (Rab. Schamaui; Dend Abba in Gemar. Babyl. ad tit. Sanhed. c. 2), ut id præstaret, sive saltem unâ ex prioribus uxoribus repudiâtâ, puellam ejus loco substituere permitte-retur, nunquam impetrare potuisse; quare inter concubinas vel uxores inferioris ordinis illam recipere coactus est. Sed ne rabbinicis commentis immoremur, illud constat, Davidem, violatas publico incestu ab Absalone uxores suas ne abjecisse quidem, intra aulam perpetuò clausas eas detinere contentum (2 Reg. 90, 3). Ut uxorem, cui olim ab ineunte adole-scentiâ fidem addiximus, perpetuam tori so-cietam habeamus, Salomon etiam atque etiam hortatur (Prov. 5, 18, 19, 25); sed adulterio-ræam uxorem penes se detinuisse stolidi esse atque impii viri crimen profitetur; quo scilicet dicto hanc unam causam dimittendi uxorem designare videtur. Malachias eo nomine Abra-hamum laudat, quod uxorem suam Sarâm,

quamvis sterilem, sustinuerit; Judæos vero in divortia pronos ita verbis castigat (Malach. 2, 14): Non respiciam ultra ad sacrificium... et dixisti: Quam ob causam? Quia Dominus testi-ficatus est inter te et uxorem pubertatis tuæ, quam tu desperasti; et hæc particeps tua et uxor (saceris tui. Et Michæas (Mich. 2, 9): Mulierem populi mei ejicisti de domo deliciarum suarum, à parvulis eorum tulisti laudem meam in perpetuum. Tandem Moyses mentem hæc in re suam satis prodit, cum uxorem antea dimissam, et alteri deinde viro nuptam, ad priorem restitui-torum post obitum secundii illius conjugis retul, eò quod, ait, polluta est, et abominabilis facta est coram Domino, easdemque repudiatas feminas eodem cum propositis et vitiatas sensu haberi jubet à sacerdotibus, injungens ut ab iis simul omnibus abstineant (Levit. 21, 7, 14). Quid etiam frequentius propheticum quam sub idèa di-vortij veras ejus causas, nempe perfidiam, idolo-latriam et crimina Israelitarum prosequatur (Ezech. 44, 22)? Tertium hoc femine à mari-tali toro avulse spectrum ita sub oculis Salo-mon exhibet (Vide Isa. 50, 1, etc., 51, 4, et Jer. 5, 8): Ut ernatis à muliere alienâ et ab extraneâ, quæ mollii sermones suos, et relinquij ducem pubertatis suæ, et pacti Dei sui oblitus est; inclinata est enim ad mortem domus ejus, et ad inferos (seu ad sepulcrum) semita iustus; omnes qui ingrediuntur ad eam, non revertentur.

Rabini in divortium aliquo indulgentissi-mi, id tamen apud sapientissimos et religio-sissimos gentis suæ viros nunquam usu recep-tum fuisse, omni legis privilegio renuntiantes, ultrò fatentur: si quando autem, addunt, à quodam ex illis factum constat, id nonnisi summo consilio et cautione admissum est; maximè si de uxore primâ omnium in torum admissâ, in Scripturâ, uxore pubertatis, dimitteudâ agere-tur. Quicumque priorem uxorem dimittit, ille ex ipso altari lacrymas crimine suo exprimit, ait Rabbi Eliezer. Laudatur etiam in eam rem vetus paremia rabbi Ben Sira: Abrede os quod tibi projectum est: nempe tene uxorem que tibi primò contigit. Varro de hoc argumento: Uxo-ris vitium, ait, tollas opus est, aut feras. Qui tol-lit vitium, uxorem commodiusculam sibi præstat; qui fert, se meliorem facit.

Quod tandem apertissimè demonstrat riora fuisse apud veteres Hebræos divortia, illud est nimirum leges apud Moysen dari nonnullas, quibus diversa prorsus consuetudo inculcatur. Ita lege injunctum est, ut si quis vir in uxorem suam sinistri aliquid intentans, vir-

ginem ad nuptias non venisse accusaverit, femina illius necessarii ejus causam in judicio defendant, quibus agentibus si fortè mulier ab-solvatur, vir ejus ante cæsus, injustæ accusa-tionis insuper penam luit 100 siclis ejusdem femine patri solvendis (Prov. 2, 17, 18; Deut. 22, 25, etc.), tum et omni in posterum facul-tate uxorem illam repudiandi privetur. Porrò si divortium ad manus fuisset, cur invisam femi-nam vir continuò non dimitteret? Paria de iis conjicio, quibus fides uxoris suæ non leviter suspecta est; hæc enim amaricantium aquarum experimento probare tantum in lege (Num. 5, 14) datum est, ex quo illud mihi deducen-dum esse videtur, nullam fuisse viris dimitti-endi uxores suspectas potestatem. Jubet tan-dem legislator, virum qui ex binis simul ductis uxori-bus præ alterâ alteram diligit, jure tamen hæreditatis minis dilectæ uxoris filium non fraudare, ut alterum ex dilectâ genitum, sed natum minorem, præponat (Deut. 21, 15, 16, 17): cur invisam illam feminam cum natis vir non dimisisset, si divortium pronum erat? Jus etiam divortij perpetuò negatum ei, qui violatam à se feminam ducere judicis sententiâ damnatus fuerat (Deut. 22, 29); quasi scilicet post in-justam eam feminam notam, quod illam dimittere permitteretur nihil esset.

Ferunt, labentibus jam reipublice hebrææ annis, paulò scilicet ante Christi adventum (Selden. Uxor Heb. l. 5, cap. 18 et 20), in im-mensum jam auctis criminibus, atque divortij malo per universam latè Judæam prorogato, acrem inter hebræos doctores agitatam fuisse controversiam de sensu verborum Moysis, qui-bus divortij causa assignantur, propter aliquam fedilitatem. Quâ in re scholæ Hillel et Sammaïa (doctores erant celebratissimi paulò ante Jesu Christi ætatem, scriptis Josephi Antiq. l. 14, c. 16, et l. 15, c. 1 et 15, et S. Hieronymi (1) noti) partes inter se contrarias tuebantur. Sammaïas enim in magno Sanhedrio secundus à principe, in eâ erat sententiâ, ut divortio in-ducendo obscenum aliquid et impudicum, cu-jus pars repudiata culparetur, intercessisse du-beret.

Verùm Hillel insignis alter rabbinus, qui Sammaïam habuerat discipulum, scholæ florentis-sime moderator, quæcumque pretenderetur, causam ad divortium satis haberi contendebat:

(1) In Isai. cap. 8: « Sammaï et Hillel non multo prius quam Dominus nasceretur, orti sunt in Judæa. »

e. g., si carnes plus nimid uxor decoxisset, si alterâ muliere plus delectaretur, vir poterat prioribus relictis ad optatas nuptias transire. In quam sententiam ita distrahebatur textum legis quasi particula aliqua disjunctiva intercederet, ut esset sensus, propter aliquid, seu propter fedilitatem. Ejus doctoris sententiâ, malè licet textui coherens, ut vis litteræ illata ultrò appa-reat, suos tamen patronos nec raros nacta est. Akiba, cujus sententia in Misnâ refertur, suo illam suffragio non falsit tantum, sed mirè pro-vehens sufficere ad divortium autumavit, si viro uxor non usquequaque placeret; huic doctori ita legitur textus: Si acceperit homo uxorem, et non invenit (uxor) gratiam coram oculis ejus, seu invenit (vir) in eâ aliquam fedilitatem, etc. Duabus igitur de causis divortium permitteba-tur; si uxor marito minis placeret, et si turpe aliquid admisisset.

Tanctorum doctorum nomine et auctoritate invalescens opinio, cui etiam illud commodi accedebat, ut concupiscentiæ frena laxaret, brevi super aliam obtinuit, ut mores Judæorum olim, et nostrâ etiam ætate vulgares rabbinorum sen-tentiâ ad eam conformarentur.

Quæcumque Salvatoris ætate res pendere ad-huc in lance, Sammaïæ opinione nondum peni-tus abjectâ, videtur. Pharisei enim ad Christum venientes interrogarunt: Si licet homini dimit-tere uxorem suam quæcumque ex causâ (Matth. 19, 5). Sed non diù post, nempe Josephi et Phi-lonis ætate, res adeo ad licentiam inclinavit, ut divortium quæcumque demum ex causâ in-duci posse ne ambigerent quidem. In hæc sen-suum legis verba Philo interpretatus (De spe-cial. Legib. ad præc. 6, 7), ait: Si mulier quæcumque ex causâ repudiata. Et Josephus (Antiq. l. 4, c. 8) paria sentiens: Qui à conjugio, ait, quæcumque de causâ, ut sæpè hominibus visum est, disjungi postulat, scripto ei securitatem faciat; nec aliam se habuisse causam uxorem suam re-pudiandi, quam quòd genio suo minis congrue-ret, in Vita sua profertur.

Judeis nostræ ætatis idem probatur. Femi-nam, morigeram licet et modestam, repudiare, ait Leo Modena (Rit. hebraici pag. 4, cap. 9), viri integrum est, si fortè tedio aliquo illius teneatur. Sed jus illud tot clausulis et condi-tionibus obvolverunt rabini, ut divortij causâ in longum protractâ, partibus interim inter se compositis, vix absolvatur unquam.

Traditione receptum tenent Judei, milites omnes in bellum profecturos repudiij libellum uxori-bus suis misisse, datâ illis facultate, u-

elapso triennio, si forte in hostium potestatem captivi venissent, alias sibi nuptias procurarent. In hunc sensum interpretantur rabbinii illud 1 Reg. 17, 48: *Frater tuos visitabis, et cum quibus ordinati sunt discēs, heb. et pignus eorum tolles*, id est, ut ipsi quidem exponunt, libellos divortii. Eas pariter literas datas comminiscuntur uxori ab Uriā, quibus, si forte in hostium potestatem ipse venisset, eidem feminae alias sibi nuptias conciliare ejus esset. Verteris hujus moris, dubii planē, et, ne quid gravius dicam, incerti, meminit auctor Tradit. hebraic. in libros Regg. et Paralipp.

Facile, quantum arbitror, ex ipso legis textu, à nobis descripto, intellexisse lectores poterunt, divortii privilegium ad viros tantum spectasse, non ad feminas. Cum sanè apud Orientales feminarum minùs ratio habeatur, ac solum veluti necessarium vitæ commodum virilisque domini portio respiciantur, in societatis jura nunquam venire illas contingit, legesque mulieribus faventes bullæ firmè sanciantur. Longè alius apud Græcos et Romanos mos erat, penès quos par feminis, et viris jus in divortia; quare earum exemplo Judæorum feminae sese efferentes, eò licentiæ devenerunt ut viros suos à toro abjicere aufferent. Lex planè nihil feminis eà in re permittit, sed nihil vicissim prohibet (1); consuetudo quidem pro illis nulla erat, sed illustris alienius feminae exemplo facile potuit induci.

Succurrebant rara quedam exempla feminarum, quæ viros suos dimiserant; sed hæc divortii potius speciem, quam rem exhibere videbantur. Samsonis uxor contra fidem priorum sponsalium, ne expectato quidem libello repudiū, ad alias nuptias transierat (Judic. 14, 20); sed Philistææ mulieris exempla nihil Judæis conferunt. Uliō quin etiam à Samsonē, sicut et à Philistæis ipsis eà de re exacta, satis demonstrat contra patrias saltem leges visam fuisse eam mulierem commisisse ut alteri nuberet. Levitæ uxor, cujus occasione acre illud bellum in tribum Benjamin exarsit (Judic. 14, 5), dimisso viro ad patrem suum remeasse legitur; eamque repudium dixisse viro suo sanctus Ambrosius autumasse videtur: *Remiit claves*

(1) Rabbinii recentiores docent juxta Talmudim, tract. *Gittin*, passim et *Yebamot*, f. 412. v.°, maritum solum potiri jure repudiandi, quod nunquam uxori conceditur. Vid. etiam Maimonidem, tract. de Repudiatione c. 1, § 2. (Drach, loc. cit.)

(Epist. 6). Recepta tamen et probata sententia tenet, feminam illam ob privatam fortè domesticam querelam secessionem à viro ad tempus tantummodo fecisse, cujus rei exempla frequentissima inter conjuges suppetunt. A novis etiam nuptiis abstinuisse illam ex eo colligimus, quod regredienti viro socer uxorem promptè restituit, atque in redcem idem, quod prius, jus conjux retinuit. Michol, Davidis uxor, alteri viro, nempe Phaltiel, superstite adhuc Davide, in conjugem data legitur 1 Reg. 25, 44. Divortii id genus fuit; neque enim Saul aliam sibi auctoritatem abstrahendi filiam à viro toro usurpare poterat, quam quæ lege divortii concessa est. Davidem ille perinde ac extorem, perduellē et impium habebat eamque repudiū causam preteritit. Sed præstitit David? Minimè ille quidem: fato enim rege sublato, uxorem suam jure postliminii repetiit. Hoc igitur divortii à viro inducti exemplum difficultate non caret; totius enim rei in causâ fuisse creditur regis auctoritas invitam mulierem ad secundas nuptias cogens.

Salome igitur, Herodis Magni soror, omnium prima præscriptas mulieribus metas transgressa, liberam sibi repudiandi viri facultatem vindicavit. Namque à tori societate Costobarum Idumææ et Gaza prefectum divortio excludens, exemplum inauditum ad id usque, ait Josephus, apud Judæos posteritatis reliquit (Antiq. lib. 15, cap. 14); quod enim uxor conjugem suum dimittat, resolutive prioribus nuptiis, nec libello repudiū accepto, novas conciliet, moribus æque ac legibus Judæorum, addit idem Josephus, repugnat. Herodias, cujus est in Evangelio sermo (Matth. 14, 5, Marc. 6, 17), virum suum Philippum repudiaverat, quantum ex Josepho Antiq. l. 18, cap. 7, colligimus. Ipse tandem de se Josephus in Vita sua narrat, ductam post solutionem captivitatem suam uxorem, divortio à se recedentem habuisse. Tres Agrippæ junioris, olim Chalcedis, deinde Traconitidis et Batanææ regis sorores, tres sibi junctos viros singulae singulis repudiârunt. Berenices natu major, priores nuptias cum Herode, rege Chalcedis, patre suo, conciliatas abrupens, in tori societatem Ptolemæonem regem Ponti adscivit, cujus pariter viri tædio (Joseph. Antiq. l. 20, c. 5) deinde affecta est. Altera ejus soror Mariannæ Archelaum priorem virum nuptiis Demetrii alabarææ, sive principis Judæorum Alexandrinorum posthabuit (ibid.). Druzilla tandem Aziam Emææ regem et ad circumcissionem et ad suas nuptias

invitavit; sed paucis post annis adsciscere sibi alium virum, Felicem, Judææ præsidem, priori relicto, maluit (ibid.).

Hujus à feminis usurpate libertatis vestigia nonnulla deprehendisse nobis in Evangelio videmur, cum scilicet Christus eam licentiam, veluti quæ facile obtinere posset, præcepto frenandam censuit (Marc. 11, 12): *Si uxor dimiserit virum suum, et alteri nupsierit, machatur*. De Samaritanâ muliere, cui, post ductos quinque viros, virum alium non suum adhuc retinuisse Jesus Christus exprobravit, ea fuit Grotii sententia, ut post repudiatos quinque priores viros, nec tamen conjugio cum priori viro soluto, utpote quòd divortium mulieribus lege interdictum esset; quem deinde adhuc tenebat vir, tanquam alienus haberi jure meritoque deluerat (Joan. 4, 18; Grot. ibid.). Ne feminae virum dimittant, etsi habeant virum infidelē, et hic consensit habitare cum illis (1 Cor. 7, 10, 15), Apostolus suadet; non suaderet autem nisi res esset alioqui feminis permessa. Memoriae etiam traditum est de S. Theclâ, ejusdem Apostoli disciplinam secuta, eam post datum christiano religioni nomen (habebantur autem Christiani tunc temporis veluti reformati Judæismi professores) facti divortio à viro recessisse (S. Epiph. hæres. 78).

Mahumetani, quos paucis à Judæis derivasse constat, feminis æque ac maribus divortium permittunt, quantum feminis minùs in eà re quam viris indulgent (vide Alcor. Azocr. 2, 4; Anton. Geufr. l. 2 Turci; Bellon. Observ. l. 5, et alios). Viri enim nullo majori negotio uxores, quam nos famulas, mutant. Semel repudiata ad tori societatem revocare bis singulis permissum, tertio negatur; licet autem et tertio, modò post divortium ad alienas nuptias non transiret. Sed novas hæc nuptias ante tres menses à divortio invisisse mulieribus nefas. Divortii causæ in judicio cognoscuntur; sunt autem plerumque sive corrupti conjugis mores, sive sterilitas mulieris.

Major adhuc in divortia apud Græcos, Romanos, barbarasque gentes licentia. Cum enim nullâ Dei lege eorum pruritus refrenaretur, conjugii vinculum ad libitum mutuo dissolvere, atque ad alienas nuptias transire, nullâ solemnî formulâ observatâ, nec divortii causâ adductâ, permissum sibi ducebant. Frequenter missio libello repudiū divortium indicabatur; quandoque aliter inter partes actum est; uti dum contrarius planè verbis, ac quibus conju-

gia divinxerant, illis resolvendis utebantur, e. g.: *conditio tua non utar*; (L. 1 de Divort.) sive: *Res tua tibi habeto* (L. 2, § 1 de Divort.). Interdum alteruter claves alteri remittebat; ac tandem instrumentum conjugii quandoque recessissum.

Quod ad causas et divortii rationes spectat, mutuo interdum consensu res agebatur; sæpè alterutris voluntate tantum, nullâ etiam prætextâ causâ. Scitum est Emiliū illud (Plut. in Emil.), qui de repudiatâ à se Papiriâ uxore stupentibus, calceum suum ostendit, addens elegantem illum quidem et concinnū videri, ubi autem pedem laaberet scire neminem.

Quantum autem lege duodecim Tabularum divortia Romanis permitterentur, nulla tamen ejus rei exempla ante annum 511 (1), sive 520 (2), ab urbe conditâ occurrunt. Spurius Carvilius Ruga omnium primus sterilem uxorem repudiavit. Successu temporis laxata licentia frena, ut juxta Tertulliani phrasim, *repudium jam volun esset, et quasi matrimonii fructus* (adversus Gent. cap. 6). Eò res sub imperio Augusti devenerat (3), ut lege latâ modum divortii imponendum consensus imperator ediceret, ne divortia nisi *coram septem testibus puberibus atque civibus, Romanisque facta* admitterentur (4). Verum immodicam licet divortiorum libertatem reprehenderent honestissimi quique, atque senatorem repudiatae uxoris, quam virginem duxerat, idque ac consulti quidem amici, notatum à curiâ exclusissent censors (5), nihil tamen eà severitate impetratum est. *Nunquid jam ulla (femina) repudio erubescit, postquam illustres quaedam ac nobiles feminae non consulto numero, sed matrimonium annos suos computant? Exeunt matrimonii causâ, nubunt divortii*, ait Seneca, de Benef. lib.

(1) Divortium primum Romæ fecit Spurius Carvilius Ruga, anno 511 post urbem conditam. Ant. Gel. l. 16, cap. ult.

(2) Valer. Max. lib. 2, cap. 1: Repudium inter uxorem et virum à conditâ urbe usque ad annum 520 nullum intercessit.

(3) Suet. in Aug.: Divortii modum impositum.

(4) Paul. lib. Nullum divortium, 9, de Divort.

(5) Val. Max. lib. 2, cap. 4: I. Antonium senata moverunt, quod quam virginem in matrimonium duxerat, repudiasset, nullo autem in consilium adhibito.

cap. 16. Nec satyrici mitius agunt in divortia. (Vide Juven. satyr. 16.)

Is erat rerum status apud Hebræos, Græcos et Romanos, quo potissimum tempore Jesus Christus in terram descendens, matrimonium ad Sacramenti dignitatem evertit; tum et primæ sanctitati atque officio conjugia restitutos, supremi Creatoris id olim fuisse consilium aperuit, ut semel conciliatum matrimonium nunquam dissolveretur, nullusque pateret divortii aditus, nisi una excepta adulterii causâ, in quâ tamen à toro quidem secedere integrum esset, à conjugio non esset. Tunc autem par recedendi jus viro sequè ac mulieri, statuit: *Dicitur est: Quicumque dimiserit uxorem suam, det ei libellum repudiî. Ego autem dico vobis: Quicumque dimiserit uxorem suam, exceptâ fornicationis causâ, facti eam mochari; et qui dimissam duxerit, adulterat* (Math. 5, 32). Et alibi consultus à Phariseis licetne pro libito uxorem repudiare, respondit creatorem post formatos marem et feminam (Math. 19, 15) item pariter statuisse: *Propter hoc dimittet homo patrem et matrem, et adheret uxori suæ, et erunt duo in carne unâ; ita ut non sint duo, sed una caro. Quod ergo Deus conjunxit, homo non separat.* Addit deinde eas leges, quas antea de divortio edixerat, cujus unicam semper causam permittit, nec sine designatis supra conditionibus, nempe adulterium.

Cùm tamen sermo eâ occasione Judæis tantum à Christo fieret, ideò nulla facta est ab eo alterius causæ, quâ divortium permitteret, mentio; si scilicet ex conjugibus alteruter ad fidem transisset, altero in errore perseverante. Hujus discipline regulas Apostolus Paulus præscribit (1 Cor. 7, 10, etc.): *Ita autem, qui matrimonio juncti sunt, præcipio, non ego, sed Dominus, uxorem à viro non discedere; quòd si discesserit, manere inuuptam, aut viro suo reconciliari.* Hactenus Apostolus mentem supremi legislatoris circa divortium explicat; omne scilicet interdicti divortium una exceptâ adulterii causâ, tunc autem divortium quidem permitti, novâ autem nuptias conciliare nefas. Addit demùm à Cæteris ego dico, non Dominus: *Si quis frater uxorem habet infidelem, et hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illum. Et si qua mulier habet virum infidelem, et hic consentit habitare cum illa, non dimittat virum.... Quòd si infidelis discedit, discedat; non enim servituti subiectus est frater, aut soror in hujusmodi.*

Hæc Apostoli et Jesu Christi verba aperta sunt licet videantur, in varias tamen senten-

tias interpretes doctissimos diviserunt. Cujus rei sive in causâ fuit recepta Iudæorum et paganorum, qui fidei nomen dabant, consuetudo, sive ea invaluit opinio, ut Jesu Christi dictura de Judæis tantummodo, non de universâ Ecclesiâ reciperetur, quasi scilicet Ecclesiæ major in eâ re permitteretur libertas; sive tandem vox *fornicationis* variis subsensibus censeretur. Hinc factum est, ut Ecclesiæ in eâ re mores diutius in incerto errarent (1).

Cùm Scripturæ stylo nomina *fornicatio* et *adulterium* duplicem significationem admittant (modò enim ad litteram crimen sonant obsecrum, modò allegorico sensu pro idololatría crimine atque ceaturarum in Deum perfidiâ usurpatur), non defuerunt qui Jesu Christi verba: *Qui dimiserit uxorem suam, exceptâ fornicationis causâ*, etc. (Math. 5, 32), sive de adulterio, crimine castitati adverso, sive de idololatría, aliisque criminibus, quæ adulterii nomine in Scripturâ censentur, indiscriminatim explicarent. Alii litteralem significationem prætulērunt. Ex quâ sententiarum discrepantiâ contrarij etiam mores et disciplina invecata est.

Origenes in eâ fuisse sententiâ visus est, Moysen quidem illis verbis: *Propter aliquam fornicationem*, etc., omnia mulierum crimina, sicut et errores (Orig. hom. 7 in Math. Vide Grot. in hunc locum) significasse; sed, addit ille, Jesus Christus angustiores nobis limites præscribit, omni præcluso ad divortium aditu, exceptâ fornicationis causâ. Demùm idem Origenes in examen revocat, an scilicet fornicationis nomine immania quæcumque crimina censi

(1) Nec aliter res cedere poterat in opinio-nem concursa tot doctorum doctrinâ sanctitateque præstantium, cum nullus ex illis credere deberet hand sibi licitum esse interpretari Ecclesiæ oracula, et que ab ipso Jesu Christi ore exierant, donec sententiâ definitiva Ecclesiæ concilio Tridentino pronuntiaretur. Ea est tamen complexio questionum secundariorum quas ipsamet divortii quæstio complectitur, ut concilium sanctum inexpedita disputationeque obnoxia reliquerit matrimonio quæ mixta nuptiarum antea fuerat. Anales fori gallicæ exemplum fluctuationis inde seculæ percelebre memorant. Anno 1757 Borach Levi, Judæus ad fidem catholicam conversus, cum vellet, uxore adhuc vivente, sed judaico cultui affixa, in secundis nuptias convolare, sessio fuit inter ecclesiasticos Judæos de indissolubilitate prioris matrimonii. Verum hodierno tempore, controversia quæ circa matrimonia mixta agitataur, magno-perè progressa est plurimis posteriorum pontificum brevibus intercedentibus. Vid. Cursum theol. compl., tract. de Matrimonio.

possint, e. g., si mulier venefici crimine, si homicidii, si filii enecati, si furii in virum te-neatur; quorsum enim tantis sceleribus inquinatam uxorem ferre maritus cogatur, cui dimittere adulteram permittitur? Me igitur auctore, inquit Origenes, verba illa Jesu Christi: *Exceptâ fornicationis causâ*, non ita accipiendâ sunt; ut eam solam divortii causam permittat; sed eâ tantum ut exemplum assignati est, velut si unum ex iis criminibus designaretur, quibus uxorem suam repudiare maritus, nihil inde reus, si quid uxori sinistram contigerit, permissus est.

Quod ad nuptias post divortium contractas pertinet, Origenes quidem ab episcopis nonnullis permissas narrat; quâ in re contra Scripturæ sensum egisse illos non diffidetur; verùm, ait, peculiare aliquas præ oculis habere rationes poterant, quibus id eorum consilium excusaretur; veluti metû majoris mali, incontinentiæ, etc. Leges ab imperatoribus christianis late plures divortij causas præter adulterium assignant; et ipso fatente Bedâ viris quàm multis legitima fuit uxores dimittendi ratio; etiam *Dei timor*, id est, metus ne à fide et religione seducerentur (1). S. Augustini ætate, ut ipse in Retractionibus insinat (Retract. 1. 1, cap. 9), variæ erant variorum in eâ Christi verba sententiæ: alii ad litteram sententiâ interpretantes, alii verò fornicationis nomine ea omnia censebant, quæ supra ex Origene deduximus.

Magis tamen recepta et rata sententiâ ea semper habita est, quæ Evangelij verbis litteralem, meram parumque significationem attribuit. Ita Christi verba interpretantur vulgò Patres et Commentatores, addentes insuper, secularis leges, ipsasque adeò Moysis sanctiones potuisse quidem divortium aliis de causis, præter adulterium, inductum tolerare; im-mune verò à crimine efficere non potuisse. *Nullam aliam*, ait S. Hilarius (in Math. cap. 4, num. 22. Vide et Chrysost. serm. 19 de Libel. repud., Theodoret. in 1 ad Cor., Clem. Alex. Strom. 1. 2. ad fin.), *causam descendi à conjugio præscribunt, quàm quæ virum prostituta uxoris societate pollicetur.*

Superest modò ut in examen revocemus, an inducto demùm divortio adulterii causâ, novas

(1) Bedâ in Marc. 5, citatus in locis collectis in conc. Aquigran. III: *e* Una solummodo & carnalis causa, fornicatio; una spiritualis, timor Dei, ut uxor dimittatur, sicut multi re- ligionis causâ fecisse leguntur.

inire nuptias integrum conjugibus habetur. Lex Mosæica, uti facile legentibus animadvertitur, nihil conjuges moratur; nihil etiam secularis catholicorum imperatorum leges: quemadmodum non rara suppetunt ejus rei exempla, tum apud Christianos primorum seculorum, cum maxime in Ecclesiâ Græcâ ad-huc, ejus recepta est eâ de re consuetudo (Renaudot, Perpetuité de la foi, chap. 5, 1, 2; chap. 7, p. 447, etc.). Porrò Ecclesiarum illarum doctrina tenet, conjugij christiani vinculum solvi nunquam posse, quâ in re christiana à Judaico conjugio maxime distinguitur, christianum; inquam, ad primævam illam matrimonij institutionem rem totam deducens: habent tamen Christiani illi persuasum, adulterij crimine ream uxorem ita à toro posse repelli, ut alia ejus loco inducatur (1). Cophis, Syris, cæterisque Orientalibus ea Græcorum doctrina probatur: probatur etiam Latinis nonnullis, ut Lactantio, Institut. lib. 6, c. 23, Tertulliano de Monogam., cujus hæc sunt verba: *Tam repudiò matrimonium divortium, quàm morte.* Et lib. 4 cont. Marcion: *Præter ex causâ adulterij, nec Creator disjungit, quod ipse scilicet conjunxit.* Vide et lib. 2 ad Exor. cap. 1. Negat tamen Tertullianus facultatem alterius conjugij iis qui primum illud divortio reciderunt, Monog. 9, 10. Sed nihil prohibet Lactantius.

Narrat Origenes permitti à quibusdam episcopis novas nuptias post divortium. Concilium

(1) Hæc opinio in eo sanè fundatur quòd Christus apud Mattheum, cap. 19, dixerit: *Quicumque dimiserit uxorem suam, et aliam duxerit, adulterium committit, unde sequitur exceptionem eorum divortio, sed matrimonio post divortium assignandam. Neque fortè foret aliis re suspicari exceptionem hæc à capite 5 Matthei in cap. 19 ejusdem evangeliste al-tatam fuisse, cum ibi primum Christus dixerit: *Omnia qui dimiserit uxorem suam, exceptâ fornicationis causâ, facti eam mochari; atque addiderit, ut in cap. 19: *Qui dimissam duxerit adulterat.* Ex textu utriusque similitudi-nis accidere potuit ut confunderetur, et capiti 19 adjoiceretur exceptio in capite 5 duntaxat scripta, vel que saltem juxta illius capitis sensum est accipienda. Quidquid id est, et licet mera sit conjectura, videtur alios, Matthei textu, alios Lucæ Maricæ locis paralle-lis variè impulsos, Matrimonio post divortium casu adulterij determinatum, veniam aut con-demnationem applicuisse.**

Eliberitanum morem illam jam receptum condemnat (conc. Eliber. cap. 8 et 9): « Feminæ, que nullâ precedente causâ reliquerunt viros suos et alteris se copulaverunt, nec in fine accipiant communionem. » Et: « Fidelis femina, quæ adulterum maritum reliquit fidelem, et alterum ducit, prohibeatur ne ducat. Si autem duxerit, non prius accipiat communionem, quam is, quem reliquit, de seculo exierit, nisi necessitas infirmitatis dare compulerit. » Concilium Arelatense I decernit, ut junioribus conjugibus et fidelibus, qui conjugem adulterio ream dimiserunt, *consilium datur, ne viventibus uxoribus suis, licet adulteris, alias accipiant* (Can. 10). S. Ambrosius maritos hortatur ne permissâ sibi à legibus civilibus in divortia libertate uti velint: addit insuper eos, qui uxorem repudiârunt aliâ, quam que in Evangelio permittitur, causâ (in Luc. lib. 8, artic. 5; vide etiam S. Aug. de Bono conjug. numer. 7) non solum « celeste preceptum, sed quoddam etiam opus Dei solvunt. » Paterine, oro, liberos tuos vivente te esse et sub vitrico? aut incolumi matre degere sub eorum? Pone si repudiata non nubat. Et hæc viro tibi potuit displicere, cui adulterio et fidem servat? Pone si nubat, necessitatis illius tuum crimen est. » Plura laudantur concilia, Gallicana potissimum, quæ morem illum, novas scilicet contrahendi post divortium nuptias, vel significant tantum vel probant (vide Conc. Aurelian. II, cap. 11. Vermer. cap. 5, 6, 11, 17, 20. Compend. c. 16. Hybern. S. Patric. an. 514, cap. 16).

Verum consuetudo illa nunquam in morem abiit, cum omnibus retrò seculis adversas haberit insignium ferè omnium Ecclesiarum, atque sapientissimorum antistitem sanctiones. Canones vulgò Apostolici secundas post divortium nuptias, adhuc priori conjugè superstitè, damnant (can. 48). Pontifices Siricius, Innocentius, Leo, Stephanus, Zacharias (1), in suis Decretalibus eas nuptias velut adulterinas damnant. Hisce SS. pontificum Constitutionibus Ecclesia Romana firmiter inhærens, contractas post divortium nuptias ut recipere nunquam commisit; quam etiam disciplinam tandem Ecclesia Gallicana post seculum octavum amplexa est (2). Gregorius II pontifex in Epistola

(1) Siric. Epist. ad Himer. Tarracoen. Innoec. Epist. ad Exuper. Tholos. Leo ad Prob. Stephan. II, artic. 5. Zach. Epist. 7 ad Pipin. capit. 20.

(2) Conc. Compend. an 744, can. 48. Sces-

ab Bonifacium, episcopum Ultrajectensem (art. 2, tom. 6 Concil.), scripserat licitum esse maritum, cujus uxor ne conjugale debitum solveret agrâ valetudine impediretur, novas inire nuptias, modò uxori agrotanti non desset; sed hanc ejus sanctionem sacris canonibus, ipsique Evangelio, et Apostolorum doctrine planè adversari Gratianus animadvertit (Grat. 52, q. 7, cap. 18, *Quod proposuisti*). Recepta tandem Ecclesiæ Latine sententia tenet, conjugii vinculum nunquam, ne divortio quidem, abrumpi. In concilio Florentino requisiti à Latinis Græci, cur novas inire nuptias conjugibus divortio sejunctis permitterent, quamvis nihil æquum pro se reponere viderentur, visum est tamen, citra mutue pacis dispendium, saniora illis suadere. In concilio Tridentino canon propositus fuit, quo eodem simul anathemate obolvebantur tum ii qui conjugii vinculum per divortium dissolvi, cum ii qui novas post divortium iniri posse nuptias crederent.

Verum huic decreto restitisse legatos Venetorum in Historia ejusdem concilii legimus (Fra Paolo Hist. conc. Trid. sess. 8, can. 7), receptam in insulis republice Venetiarum subjectis, Cypro, Græciâ, Corcyrà, Zacytho, Cephaleniâ, Græcis frequentissimis, contrariam consuetudinem afferentes; iniquum autem esse dicebant, omnes eas gentes inauditas, et ne ad concilium quidem appellatas damnare. Quare Patres etiam atque etiam rogârunt, ut illius sanctionis eam inirent rationem, quæ nihil Græcos offenderet. Hisce Venetorum precibus atque rationibus acquiescendum esse Patres censuerunt, cum maximè non Græcorum erroribus, sed Protestantium dammandis concilium illud coactum fuisse animadvertent, simulque non defuisse Patres huic Græcorum consuetudini faventes, ex theologis nonnullis audirent. Ita ergo sancitum est: « Si quis dixerit Ecclesiam errare cum docuit et docet, propter adulterium alterius conjugum, matrimonii vinculum non posse dissolvi, et utrumque vel etiam innocentem, qui causam adulterii non dedit, non posse, altero conjugè vivente, aliud matrimonium contrahere, meretricio eum qui, dimissâ adulterâ, aliam duxerit, et eam quæ, dimisso adultero, alii nupsit, et anathema sit. » (Can. 9.) Ex quibus planè intelligimus, Ecclesiam Romanam, nec promission. capit. 9. Forjul. an 791, can. 10. Capitular. Ludov. Pii, capit. 5 de his quæ pro lege habenda sunt.

visse unquam Græcorum et Orientalium consuetudinem, nec damnasse.

Quoniam satis inter omnes constat, adulterii crimen perinde esse, sive à viro, sive à femina committatur, tum et concessum à Christo privilegium divortii æquè utrumque sexum respicere; mos tamen in Ecclesiis varius eâ de re invaluit. Feminis aliquando in nonnullis Ecclesiis libertas in divortia, viro etiam adulterii crimine reo, interdicta fuit; et S. Basilius in Epistola canonica ad Amphiloichium tradit, legem divortii contra feminas de adulterio damnatas inviolatè servari (Vide Grot. ad Matth. 5); contrarium tamen quoad feminas disciplinam invaluisse, quippe quæ viros quantumvis reos dimittere non permitterentur. Demum rem esse ancipitem addit, an femina illa, quæcum maritus, ab uxore repudiatus, nuptias conciliat, adulterii crimine rea teneatur: tota enim hujus conjugii culpa in priorem uxorem transferenda videtur; quippe quæ inducto contra legem divortio virum ad crimen impulisset. Et si in virum mitius eâ occasione animadvertendum est, quid non femine indulgendum? Verum, sequitur S. Basilius, si divortium à marito factum esse constat, cum et novas ipse nuptias iniverit; neque de adulterio damnetur, quemadmodum et priori uxori tunc ad novas nuptias transire integrum est. Græci in canones Apostolorum scribentes, morem esse contendunt semper à Christianis servatum, ne uxor solo adulterii crimine reum virum dimittat (S. Hieron. ad Ocean. Epist. 30).

Sed contrarium invaluisse in Ecclesiâ Latinâ morem nullo negotio ostendimus. S. Justinus Martyr in Apologia I, ad senatum romanum, narrat, feminam ante datum Jesu Christo nomen, vitam unâ cum conjugè suo libidinose agere consuetam, vix ad fidem conversam maritum suum à defuncte retrahere voluisse: cum autem, inquit, frustra se laborare intelligeret, voluit libellum repudii mittere. Resistentibus tamen femine necessariis, invita in conjugio manere coacta est, nulla licet respiscendo spe de viro conceptâ. Accidit interim ut vir iter Alexandriam versus suscipere, in quo cum ille multò deterior factus esse diceretur, tandem ad litteras repudii mittendas ventum est. Exemplum S. Theclæ supra laudavimus, cui alterum neci potest de Fabiola, quæ post dimissum virum licentiùs in conjugio viventem, alteri nupsit (Epist. 157, nov. edit. n. 51.) Hanc autem historiam fustis narrans S. Hieronymus, divortium quidem femine fa-

ciè excusat: secundas verò nuptias tanquam legibus Ecclesiæ repugnantibus dammare cogitur; quamquam, ait, et mulieris de legibus ecclesiasticis imperitiâ, et peractâ ritè ante fores ecclesiæ Lateranensis exomologis id præsterit, ut tantum probo exemplo fidelibus prodesset, quantum pravo nocuisset. Equè igitur fuit repudii libertas penes conjugum utrumque, nec contraria quoad feminas consuetudo nisi fortè in Oriente invaluit.

Apostoli Pauli monita, uxores fideles cum viro infideli et vicissim conjugium servare suadentis, si tamen citra fidei et religionis dispendium præstari id à fidei conjugè possit; monita, inquam, illa ita accipienda sunt, ut ad conjugium ante susceptam fidem contractum respiciant; quæ enim à fidei cum infideli contrahantur matrimonia, æquè semper Ecclesiâ damnant, tum et irrita semper declarant et nulla. Vult etiam Apostolus divortia illa tum demum legitima haberi, si conjugii fidei discrimen aliquod fidei immineret, *Occurrit aliquando necessitatis articulus, ait S. Augustinus (1), ubi aut uxor dimittatur, aut Christus*. Tandem divortium illud fidelem inter et infidelem conjuges, non conjuges tantum, sed et conjugium dissociat, ut novas inire nuptias utrique permittatur. Cum enim matrimonium inter infideles conciliando nulla sacramenti auctoritas accedere possit, mutua partium inter se paciscentium obligatio tanta profecto non est, ut vinculum præstet insolubile (vide interpp. in Cor. 5, 12). Porrò idem jus quod nuptias infidelium conciliat, fidelem cum infideli constringit. Alia sanè est de hæresi alterutrius ex conjugibus ratio; quamquam enim ea sufficiens causa divortio inducendo habetur, nihil tamen contra matrimonium valet.

Quæ olim stetit veteribus nonnullis sententia nuptias post divortium permittens, varia fuit apud varios. Alii enim per utriusque conjugis jus statuunt; alii viro concessum femine negant. Viros post datum uxori repudium aliam ducere fas est; femine post abiectum divortio virum suum, alterum adsciscere nefas, ait Ambrosiaster in 1 Cor. 7, 10, 11. Huic opinioni non adversatur concilium Eliberitanum, statuens, can. 9, prohibendam à conjugio feminam, quæ adulterum virum abdicavit; si contra facit, ait, à communione ad obtutum usque prioris viri arceatur. Vide Cajetanum in

(1) Ambros. in Luc. l. 8, art. 2 et 8: Ubi est impar conjugium, lex Dei non est. »

Matth. 19, 11, et Catharinum in 1 Cor. 7, 11, ejus opinionis assertores.

Etiam utrique conjugii jus permittit S. Epiphanius har. 59, sicut et in eadem sententiam laudari solent constitutiones apostolicae l. 5, c. 2; Origenes in Matth. 19, 8; Pollentius apud S. Augustinum de adulterin. Conjug. c. 6; vetus quoddam Praenitentiale romanum; Photius Epist. 1; concilium Vermeriense can. 18.

Placuit id etiam veterum nonnullis, conjugium violati tori reum ita ab alterius innocenti congressu removendum esse, ut ne retineri quidem possit ab illo etiam maxime velit. Dictum in eam rem Sapientis laudabant (Prov. 18, 22): *Qui tenet adulteram, stultus est et insipiens* (1). Concilium Neocæsariense (can. 8) jubet uxorem sacerdotis, quæ post ejus initiationem conjugii fidem violavit, à viri consortio proors removeri; et S. Augustinus in eo Proverbiorum textu præceptum contineri credidisse visus est (2). Verùm summi legislatoris divortium permittentis sensum Apostolus pandens ait (1 Cor. 7, 10, 11): *Præcipio uxorem à viro non discedere; quod si disces erit, manere inuptam, aut viro suo reconciliari*. Vulgo etiam Patres non obscuris verbis insinuant, divortium rem esse indulgentiam, non præceptum. Quare in eo semper inustitue visi sunt, ut ab eo conjuges retraherent, et tanquam extreum desperato morbo remedium invitæ proors et reluctanti manu admoventi juserunt. Tandem dissidentes animos conjugium inter se reconciliari atque etiam hortati sunt; quippe quod ea esset Jesu Christi doctrina et recepta in Ecclesiâ consuetudo.

Post diductas brevioribus verbis sanctiones Moysis, Jesu Christi, Apostolorum et Patrum de hoc argumento, superest ut imperiales eâ de re leges in medium afferamus. Fatendum est autem, nihil Ecclesiæ disciplinam in iis, quæ ad divortium spectant, corrupisse magis,

(1) Prov. 18, 22: *Qui expellit mulierem bonam, expellit bonum; qui autem tenet adulteram, stultus est et impius*. Sententia hæc neque in hebræo neque in chaldæo, neque in variis manuscriptis latinis, neque in Complutensi, neque in Sixti V editione, neque in nonnullis Hieronymi editionibus legitur; sed apud Septuaginta interpretes et in arabico codice integra est, dum Syriacus primam hujusce partem refert. At verò licet locus ille desit in hebræis codicibus, Judæi huic obtemperant. Forè ab hellenistis intrusus est, utpote moribus eorum et consuetudini appropinquans.

(2) Karamel. lib. 1, cap. 19. Idem probari S. Hieron. in Matth. creditur.

quàm lata in eam rem imperatorum edicta. Plerimque illa à præscriptis in Evangelio regulis deviant, ut vix, ac ne vix quidem in auctum inducamus de episcoporum consilio (sine quibus nihil ejusmodi sancitur) edici potuisse.

Sive igitur malus rei abusus adeo invaluit, ut tolli vix posse censeretur, quare eas leges, ægrè licet assentientibus episcopis, ferri opportunum est visum; sive pro paganis inductæ (quorum erat frequens in imperio numerus); cum interim Christianorum res auferrentur, ita reformate sunt, quod ad politiam pertinet, ut utrique simul genti quadrarent; relicta interim episcopis auctoritate, simulque necessitate, ut subjectam sibi Ecclesiâ jurata ecclesiasticas leges, receptasque apud Christianos traditiones moderarentur: principibus interim jus tantum ferendi leges, quos in tribunalibus politicis judices servarent, sibi retinentibus. Nec sanè desunt exempla in Ecclesiâ græcâ post latas etiam ab imperatoribus eas leges disciplinae, ad legislatoris divini, atque legis evangelicæ præscriptum (vide Chrysost. in Matth. Theophyl. Oëcum. et ceteros). Sed eas leges recitemus.

Constantinus Magnus, anno 331, cavet, ne feminae sub conquisitis causis viris repudium dicere audeant; accusantes, e. g., virum veluti ebrius, aleatorem, muliercularium (1). Vetitum etiam viris uxorem ad arbitrium repudiare. Nefas uxoris divortium à viris postulare, nisi forè homicidis, veneficis, et sepulcrorum violatoribus; netas et viris uxorem repudiare nisi macham, medicamentariam, conciliatricem. Post annos sex idem imperator sancivit, feminam post expectatum quatuor annis virum bellis implicitum, nulloque de illo accepto nuntio ad alias nuptias transire posse. Primam Constantini sanctionem Honorius, Theodosius Junior, et Constantius, anno 421, confirmarunt. Verùm imperatores Theodosius Junior et Valentinianus III, eâ abrogatâ veterem divortii libertatem restituerunt. Hæc illi: Imper. Theod. et Valent. Augg. Florentio P. F. P. consensu licita matrimonium posse contrahi, contracta nonnisi misso repudio dissolvi præcipimus. Solutionem enim

(1) Placuit Constant. August. (ad Ablavium Praef. Praetoris Pit. 16 de Repud. Cod. Theod.) mulieri non licere propter suas pravas cupiditates marito repudium mittere exquisitâ causâ velut ebrius, aut aleator, aut mulierculario; nec verò maritis pro quascumque occasiones uxores suas dimittere.

matrimonii difficiliorum debere esse favor imperat liberorum. Sed in repudio culpæque divortii perquirendâ, durum est legum veterum moderamen excedere. Ilib constitutionibus abrogatis, quæ nunc maritum, nunc mulierem, matrimonio soluto, præcipiunt poenis gravissimis coerceri, hæc constitutione repudia, culpas, culpæque coercionis ad veteres leges, responsaque prudentium revocari censuimus.

Nec diù fuit quin permissæ licentiæ malum erumperet; quare post aliquot annos, scilicet anno 449, lidem imperatores concessæ libertati frenum imponentes (1. Consensu 8, eam ius § 53, cod. de Repud.) caverunt, ne femina viro diceret repudium, nisi adulterii causâ sive homicidii, veneficii, criminis falsi, inite alicujus in imperium conjurationis, vel saltem violati sepulcri, aut rei alicujus ab Ecclesiâ furto sublata reo, sicut furum receptori, plagario, prædoni, male consuetudinis cum feminis prostitutiis coram uxore suâ habitæ accusato. Ita pariter si uxorem suam malè exceperit, si veneficio vel ferro, vel aliâ quæcumque machinatione in vitam ipsius attentaverit. Paria de viro erga uxorem, paribusque de causis datâ proportionè sancita sunt. Legitimo autem inducto semel divortio, novas inire nuptias post exactum divortii annum fas erat. Si femina illegitimo divortio à viro recessisset, tunc omni in dotem suam, et in munera ante nuptias recepta jure muletabatur, tum et novas inire nuptias nonnisi post exactos quinque annos à divortio permissa.

Anastasius imperator, anno 497, priori sanctione Theodosii Junioris innovatâ, primam divortii libertatem asseruit, omni abrogatâ cautione, ab eodem imperatore, secundâ Constitutione inductâ. Jussit autem in divortio mutuo partium consensu factis, feminae post annum novas inveniendi nuptias facultatem esse. Hæc divortii disciplina ab imperio Constantini Magni usque ad Justinianum.

Porrò Justinianus (ann. 528, tit. de Repud. l. 10, Novell. 22, c. 3 et 18), pristinis divortii causis novam aliam adiecit, nempe si post exactum in conjugio biennium, alteruter ex conjugibus impos deprehendatur; insuper si femina balnea cum viris frequentarit, si abortum procurarit, si priori viro superstitè sibi quæserit alium. Edicit autem, ut quandoquidem in rebus humanis nihil sit usque adeo firmum, quin resolvi tandem possit, ita et nuptiæ suas habeant causas quibus dissolvantur:

nempe, vel mutuos partium consensus, vel per occasionem rationabilem; quæ cum bona gratia vocatur, vel citra omnem causam, vel cum causâ rationabili. Restrigit autem ad certas quasdam causas divortii licentiam (Novell. 117 et 154); lasque omnes leges divortium permittentes vel citra omnem causam, vel mutuo partium consensu, ita abrogat, ut partium consensus tunc demùm ad divortium valere statuat, cum alteruter ex conjugibus sive religiose vitæ professionem inire, sive castitatem vovere decreverit.

Justinianus imperator, Justiniani nepos (ann. 556, Novell. 140), divortia ex bonâ gratiâ, seu mutuo partium consensu restituit; isque rerum status mansit usque ad imperatorem Leonem philosophum, annum circiter 900 Jesu Christi, nempe 540 annorum intercapidine. Ejus imperatoris jussu legibus in unum corpus, quod Basilicam appellatum est, redactis, Justinianus constitutio de divortio ex mutuo partium assensu sublata est.

Recepta Ecclesiæ græcæ nostrâ quidem ætate consuetudo civilibus hisce legibus consentit; quamvis non ita facile est definire, quonam potissimum tempore correpti disciplinâ ad eâ Evangelio et veterum orientalium Patrum doctrinâ discrepans. Licet enim nulum on moveat lapidem Arcudius de Concor. orient. Eccles. et occidental. l. 7, capp. 7, 8), quæ Ecclesiæ suæ mores defendat, atque in causâ patrocinium veteres Patres pertrahere conetur, evincit ille quidem eorum ætate divortia frequentari, non tamen probata unquam demonstrat, sed tolerata tantummodò in gratiam imperialium sanctionum, à quibus permittebantur. Porrò, si quis forè post datum semel divortium ad novas nuptias transisse deprehenderetur, is planè neque à culpâ neque à crimine immunis habitus est. Sensim tamen ejus disciplina vigor remitti cepit, ut tandem nihil ea divortia curentur.

Iisdem moribus reliquæ græcæ communione gentes, Rutheni vel Moscovitæ censentur, quorum tota admittendi divortii causa est repudio libellus ab episcopo impetratus (vide Guaguin. in Descript. Sarmant. Europ.). Solebant etiam non multos ante annos conjuges, quibus facilis ad episcopum aditus non fuisset, ambo simul in caput bivii sese conferre, ubi manile quoddam ambo in diversa trahentes scindebant, quæ ceremoniâ scindi conjugium rati dissociabantur. Extat tamen inter canones Joannis cujusdam eorum metropolitæ, quem

prophetam appellabant, sanctio, quæ conjuges post divortium novis nuptiis impliciti à communione rejiciuntur. Æthiopes saltem laici, antequam à Missionariis instituarentur, divortia habebant arbitraria (vide Relat. Mission. Æthiopiæ).

Leges civiles Occidentalium variant; aliæ etenim nimio rigore, aliæ nimia facilitate ex-orbitant; ac raræ sunt prorsus, quæ temporum et occasionum vicissitudini non servierunt. Tandem Patribus Tridentinis certam quamdam omnibus romanæ Ecclesiæ mores secutis, disciplinam constituere visum; cùm interim alterius communionis homines lucusque per arbitrarium sibi viam aberrerent.

Veteres Francorum populi mutuo etiam consensu inducta divortia legitima habebant; quid divortia ex justâ causâ facta? Hujus mutui divortii formulæ exstant apud Marculfum (lib. 2, form. 50), qui circa medium septimum seculum scribebat; ex hisce autem integrum fuisse conjugibus post divortium novum inire matrimonium intelligimus. « Placuit utriusque voce lante, ut se à consortio separare deberent; et quod ita unusquisque ex ipsis sive ad e servitium Dei in ministerio, aut copula e matrimonii sociare se velint, licentiam habeant, » etc.

Post receptas in regnum sub regibus Carolo Magno, et Ludovico Pio leges romanas (Capitul. Caroli et Ludov. lib. 1, cap. 45, et lib. 6, cap. 65, et lib. 7, cap. 35), vetus tamen mansit in divortii disciplina ad normam legum ecclesiasticarum, Africanorum conciliorum, et Decretalium pontificum, quibus omnis, exceptâ adulteri causâ, ad divortium aditus præcluditur. Ita vetus Francorum libertas in divortia ab ecclesiasticis legibus repressa, nec à romanis legibus promoveri quidquam potuit.

Mancipiorum christianorum conjugia olim in Gallia, quemadmodum et ubique alibi, maxime non requisito dominorum consensu conciliata, eorumdem dominorum arbitrio abrogabantur. Mancipium dùm manumitteretur, feminam in captivitate ductam dimittens, alteri copulabatur, quemadmodum par erat jus feminis, quæ imprudens servo nupsissent (concl. Vermer. cap. 6 et 20). Quamvis autem temporis successu conjugia servorum dissolvi ecclesiasticis legibus prohiberentur (caus. 29, q. 2), usus tamen in contrarium etiam post novum seculum invalebat.

In magnâ Britannia ea potissimum loca, quæ romanis legibus et titoni parent, pristinas leges secuta fuisse in divortii, etiam post receptam Jesu Christi fidem, Seldenus autumavit (Uxor Hebr. lib. 5). Laudat in eam rem veteres leges regis *Howl-dha*, divortia maritis permittentis, si fortè uxorem deprehendissent liberius aliquid cum altero viro auderent; post divortia autem jus in novas nuptias afferunt. Verùm ex litteris S. Gregorii Magni ad S. Augustinum apostolum Angliæ (Reges. 1. 12, Ep. 32. Vide et Bed. Hist. Angl. lib. 2); tum et legibus regum Anglo-Saxonum intelligimus, obtinuisse ex tunc apud Britanos leges, et disciplinam Romanorum, à quâ deinceps nunquam recessum est.

In Italia Theodoricus rex veterem Saxonum legem innovans (cap. 54), parè edicto imperatoris Constantini supra laudato, morem invenit. Leges Wisigotorum in Hispania divortii iniquissimæ erant (Leg. Wisig. 1. 3, tit. 6, c. 1); nec rex Henricus mitior fuit, qui omnia simul, exceptâ adulteri causâ, prohibuit. Apud Burgundos nullum in divortia jus quæcumquè demùm ex causâ feminis permissum; viris autem tantùm ex causis in Constitutione Constantini designatis (Leg. Burgund. c. 54).

Allemanis constitutum erat, ut in repudiandis uxoribus coram quinque nominatis, et septem advocatis solemniter edicerent, eam feminam repudiari, non quod vitio aliquo aut defectu notaretur, sed quod altera magis amaretur (Leg. Alleman. c. 55). Porrò hæ leges sexto seculo scriptæ sunt, nempe ante receptam ab illis gentibus fidem.

Synodus Hiberna II, can. 26, in potestate mariti relinquit, si post repudiatam priorem feminam adulteri causâ, ad novas nuptias transire voluerit. *Si ducat alteram, velut post mortem prioris, non vetant.*

Porrò illarum gentium prona in divortium licentia ex litteris Gregorii VII ad Lanfrancum, archiepiscopum Cantuariensem, sicut etiam ex alterâ Lanfranci ad Gotricum et Terdevrallum, regem Hiberniæ, ac tandem ex alterâ Anselmi archiepiscopi Cantuariensis, ad Muriardacum, regem ejusdem provinciæ, nota est. Vitio enim populi illi vertunt pronam sicut ad sociandam, ita et dissociandam conjugia consuetudinem, nee tetate nostrâ meliores sunt liberorum mores, juxta ac Cambdenus animadvertit.

DE NATURA ANIMÆ,

ET EJUS POST MORTEM STATU, EX SENTENTIA VETERUM HEBRÆORUM;

Dissertatio.

ARTICULUS I.

Inter corpus, animam et spiritum discretio.

Animæ nomen in veterum scriptis ambiguum est maxime, interdum enim sonat rem aliquam simplicem, spirituales, incorruptibilem, immortalem, quæ cogitat in nobis. Aliquibus verò est res quædam, subtili, tenuique, aëreâ, licet materiâ constans, quæ veluti corpore vestitur *spiritus*, cogitandi et ratiocinandi in nobis fons et origo. Anima, posteriori illo sensu accepta, ex veterum plurimorum sententiâ voluptatum plectu trahitur, odoribus, dulci instrumentorum musicorum suavitate mulcetur, circa sepulcra divagans spectandam se præbet, victimarum cruore pascitur, ac tandem ex alio in alium generatione propagatur. Hæc non apud philosophos paganosque poetas tantum, sed et apud veteres Ecclesiæ Patres legas, sicut et libris apocryphis sub ipsâ Ecclesiæ crepundia probatis. Tria ab illis in homine distincta: *corpus*, crassum nempe illud, materiâ compactum, et obnoxium corruptioni; *anima*, aërea, tenuis, ad luminis naturam dotemque accedens; et *spiritus* vel *mens*, spiritalis illa naturæ vis, in animâ veluti in vaginâ condita.

Resoluto corporis cum animâ per obitum nexu, illa vel supra lunam cum spiritu evolat, vel si exacte vitæ scelera respiciant, ad inferna suppliciorum loca deturbatur. Prohorum igitur animas, cùm supernas tenuerint sedes, mors altera manet; fracto enim animæ claustrum, *spiritus* cum sole jungitur; *anima* verò Elysiis illis in sedibus sub lunâ subsistens, nihil sibi facit ad voluptatem reliqui, semper tamen affinem illum retinens ad cognatum corpus formam, ad pristina in terrâ studia propensionem, ad arma scilicet, equos tractandos, jura reddenda.

Patent hæc maxime in scriptis Homeri,

summi illius theologiæ Græcorum coryphææ, agens enim ille (Iliad. 26) de Patrocli animâ, spectandam se per visum Achilli præbente, similem per omnia formam ac heros ille, cui olim incederat, retulisse dicit. Et Odys. 1. 5, 600, Ulysses ad inferos vidisse se dicit *Herculis idolum* (animam scilicet); ipse verò, addit, *apud mortales Deus oblectatur in conviviis* (spiritus videlicet). Et Dido apud Virgilium *Æneid.* 4 de anima suâ post obitum canit:

Et nunc magna mei sub terras ibit imago.

Quamquam hæc satis per se abhorrent à doctrinâ fidei in Scripturis traditâ, in ipsâ tamen Scripturarum phrasi nescio quid non dissimile transeunt. Animam à spiritu sive mente utcumque distingui, sat constat, cùm anima ipsa, in Scripturis nuncupata *Nephech* sive *Neschamah* vel etiam *Ruah* homini æquæ ac brutis tribuitur. Deus aquis præcepit, ut producerent *reptile animæ viventis et volatilis super terram*. Et paulò infra (Gen. 10, 20), successisse dicitur Deus hominibus, et cunctis animantibus terræ, et omnibus, in quibus est *anima vivens*, herbas ad vescendum. Et Genes. 9, 10, solemni se fœdere obstringit Deus cum hominibus, et *omni animâ vivente*, nempe cum animantibus omnibus: ita pariter, inmissis diluvii aquis perdidit *cuncta, in quibus spiraculum vitæ est* (Gen. 7, 22. Vide et Deut. 20, 16; Josue 10, 40, etc.). Et adiuic: *Ego interficiam omnem carnem, in quâ spiritus vitæ est* (Hebraicè *Ruah*). Ac tandem: *Provideat Dominus Deus spirituum omnium carnis* (Num. 27, 16, et 16, 22). Vide pariter Eccl. 5, 1, 20, 21.

Sed *spiritus* (*Ruah*) sine addito, vel mens (*Binah*) vel duo illa simul, *spiritus intelligentiæ* (Job 20, 5 et 28, 8), uni tantum homini tribuuntur. Porrò hæ loquendi phrasæ in eam fortè persuasionem veteres Hebræos adduxerunt, animam illam, hominibus eandem ac brutis communem, quam in sanguine residere tradit Scriptura Levit. 17, 11, 14: *Anima car-*